Sigismundus Primus Rex Poloniæ
Laurentio Cardinali S. 4. Coronator. Protectori —

Rndme in Christo Pater Domine
amice Charissime et honorande —

Jam pridem eximiæ Virtutis vestræ, Pater Rndme excellentia, per Rndmum Dominū Joanem Episcopum Posnanien. Consiliarium nostrū, sincere nobis Dilectū, apud nos prædicta, nobis fuit cognita. Quamobrem eidem majori immodum benivolentiâ afficiebamur, et summe doluimus, eandem in casum incidisse. Quia tamen clementiâ Divinâ ob ejus merita, et virtutem excellentem, prout nobis Breve Apostolicum patefecit, Vestra Rndma Ptas in gratiam Sntmi Domini nostri redierit, et suis honoribus restituta sit, maximopere gavisi sumus. Cui quidem ex corde gratulamur, et Sntmo Domino Nostro literis nostris, ob eam rem agimus gratias laudantes Suæ Sntdis sapientiam incomparabilem, quod imprimis in hoc Sacrosanctæ Ecclesiæ benè consuleverit, quod cum Pte Vestra Rndma et aliis simili casu agitatis, in gratiam redierit —

Rndmus autē

Rndmus autem Dominus Ioan=
=nes Archiepiscopus Gnesnen. Orator noster,
qui isthic apud Sacrosanctam Sedem manet, ad
nos perscripsit, nobis indicans, qualiter Ptas no=
=stra Rndma, nobis et rebus nostris isthic affe=
=cta sit, et quam magna Cura eas apud Sacro=
=sanctam Sedem promoverit. Quamobrem eidē
magnas habemus gratias, offerimusque nos eidē
ut si quid aliquando ad ejus honorem et commo=
=dum praestare poterimus, libenter et liberaliter
praestabimus. Rogamus autem, ut Ptas Vestra
Rndma, praefato Nostro Oratori in rebus nostris
faveat, et opituletur, et dignetur eidem licenti=
=am à Sntmo Domino nostro gratiosam abeundi,
et ad nos redeundi impetrare. Nam sicut nobis pri=
=marius Consiliarius est, ita nobis ejus praesen=
=tiā hic opus est, cum tam magnis actionibus
propter continua bella, quae cum infidelibus et Schy=
=smaticis gerimus, detinemur. Faciet nobis Ptas
Vestra Rndma rem valde gratam, et utilem, prae=
=sertim si operam adhibuerit, ut ad nos, cum aliqua
consolatione, à Sntmo Domino nostro remittatur.
Cujus Sndi nos vestra Ptas Rndma commendet,
et demum faeliciter valeat. Datt.